



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Aëris accusatores & commendatores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

CAPUT V.

Ventos, nubes, pluias, pruinas, grandines, lucem, & tenebras,
& quidquid, in aëre, mali speciem habet, ab hominibus
habere; ac Dei potentiam & aequita-
tem predicare.

I.



Atis dictum de aëre videri potest, postquam de tempesta-
tibus, in aëre natis, dictum est. Sed restant multa, in com-
pendio, percurrenda. Aër enim reciprocandi spiritus spa-
cium, non solum ad respirandum datus est, sed æquè etiam inter
morborum ac sanitatis causas refertur; &, vt Seneca loquitur, ex
aëre omnis inconstantia tumultusq; est. Eo astuante, ait Plinius & con-
calescunt, astuant omnia, ex eo autem frigefacto nubila, grandines, prui-
na, imbres, procellæ, turbines, & plurima mortalium MALA. Verùm
de morbis, deque pestilitate, aëris infectione, ac perustis veneno
ventis, propagatâ, alius erit dicendi locus. Alios, cum Plinio, con-
tra frigus eius; contra calorem alios, alios contra alia queri audi-
mus. Quid tum? sunt, qui frigore delectentur; sunt qui capian-
tur calore; sunt, qui alterutro, sunt qui utroque, ad virtutem du-
rentur. De Lappis & Finnis Septentrionalibus scribit Zieglerus,
in Scandia, aëris eos frigidissimi libertate non gaudere tantum, sed
& iuari adeò, vt, quandocunque, in Sueciam, negotiorum causa,
veniunt, nunquam domos intrent, sed sub dio tantum versentur,
atque cubent pellibus inuoluti. Obesi, & alij quoque non obesi,
hieme, &, dum bruma riget, sunt saniores: resque omnes frigido,
quam calido cælo diutius asseruantur.

II.

At ex aëre pruina descendit? Quid tum? descendit & ros, in tene-
ris pecori gratissimus herbis. In aëre spiritus procellarum? In aëre va-
pores, & ex ijs nubes; ex his pluuiæ, niues, grandines, si magis ma-
gisque constringantur? Quid tum? ibi est & officina fertilitatis:
inde imbres, velut per cribrum, guttatim terram irrigant; inde ni-
ues, semina, tanquam lanæ, per hiemem, contegunt. Et qui nescit,
quid sit pluuijs carere, Eliæ historiam legat, in qua inueniet has
minas & pœnas: *Viuit Dominus Deus Israël, in cuius conspectu slo,*
non erit, annis his, ros & pluuia. Alibi autem, inter beneficia, im-
bres

Tertullian.
I. contr. Va-
lentinian.
cap. 23.
Senec. 2. na-
tur. cap. 6.
Plinius lib. 2.
cap. 38.

Aristotel. lib.
Meteor. ca. 9.
10. 11. 12.

3. Reg. 17. 1.